



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Petri Canisii De Societate Iesv

Rader, Matthäus

Monachii, 1614

VII. Pragam Sociorum Coloniam deducit, Wormatiam à Ferd. Cæsare ad
disput. mittitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70957)

Ferdinando Rom. regi germano fratri literis ad regulos Germaniæ datis, imperium commendarat. Canisius præsto fuit omnibus, sed funera principum conuentus morabantur. Interim Canisius prouinciã curauit,

PRAGAM SOCIORVM
COLONIAM DEDVCIT:
WORMATIAM A FERDINANDO

Cæsare ad Colloquium mit-
titur.

CAPVT VII.

Ferdinandus Romanorum Rex animaduersa Canisij doctrina, religione, vita, morumq; integritate, ex illo de Sociis existimans, quorũ virtutem in Viennensis Collegij felici & salutari Reipub. progressũ perspexerat, putauit se Bohemorũ etiam saluti consulturũ, si Pragæ Collegium cõderet, vbi mores populi emendarent, Hussitarum & Wicleffitarum, aliorumq; hæreticorum furorem retunderet; sic enim ex tabulis Collegij Pra-

Pra-

Pragensis à Theophilo Chrysteno
rectore ad memissis cognoui. *Cum*
igitur (inquit Henricus Blisseuius,
tertius eiusdè Collegij moderator)
Ferdinandus Bohemæ Rex Anno Domini
1555. afflictissimum Regni Bohemæ statum
(maxime quoad religionem Catholicam,
vsquequaq; ferè retroactis annis inde pro-
fligatam) diligentius perpenderet, eumque
reperiret esse eiusmodi, ut nisi breui adhibe-
rentur opportuna remedia, de pietate Ca-
tholica plane actum esset, induxit in ani-
mm Pragæ Societatis IESV Collegium eri-
gere, de qua re proinde non solum ad R.P.
Ignatium de Loyla Societatis Generalem
Præpositum, sed ad summum Pontificem etiã
Iulium III. aliquoties & diligenter scripsit,
ut aliquot Societatis viros in Bohemiam
euocaret. Et quam primum iuxta pium ani-
mi sui desiderium P. Ignatii consensum ob-
tinuit, Scholas disposuit, ac habitationes
quasdam, quantum fieri potuit, in eorum
principio, Societatis IESV instituto accom-
modauit, presente P. Canisio, qui mox mu-
seum

seum accersitis literarum doctoribus iuuen-
tuti aperuit, ipse pro Cathedra populum ad
pristinum virtutis cultum, hereticos ad re-
cognoscendam veteris religionis veritatem
inuitauit. Versati sunt Socij primis
annis ingenti cum vitæ discrimine
Pragæ (quæ caput est Bohemiæ) &
nisi publicis edictis vtriusque Ferdi-
nandi, Patris inquã, imp & filij Archi-
ducis, patri cognominis, Socijs seue-
rissimè cautum fuisset, vltimū haud
dubiè periculum adijissent. Minati
enim fuerant se nostros de pōte præ-
cipites acturos: & vero insidias pone-
bant. Qua de re in annuis Collegij
Pragensis, Año M. D. LVI. IV. Cal. Sept.
à Petro Siluio Romam perscriptis in
hæc verba lego, ex quibus simul &
primi Pragensis Contubernij incolæ,
& Scholarum ratio cognoscentur:
Collegij nostri admoneo paucos esse vel nul-
los aduersarios, præter Lutheranos: qui nos
timeant, esse plurimos; quippe qui per nos
sue sectæ auctoritatem minuendam præ-
E sagiunt.

Ex P. Petri
 Siluij lito-
 ris, Anno
 MD LVI.

sagiunt. Iussit nobis indicari Præpositus arcis
 Pragensis, quosdam Lutheranos nobis moli-
 ri insidias, adeo ut non clam fassi sint, se vel-
 le nos cum contingeret pontem transgredi,
 in flumen præcipitare, & statim aufugere:
 sed noctu foris non versamur: interdium ve-
 ro negotia obedientiæ intrepidi obimus. Fuc-
 runt & Doctori Henrico paratæ insidiæ, &
 Doctori Tilano alteri domi, alteri foris: ali-
 quando lapidibus Collegium impetitur. Sunt
 qui & incendium nobis minentur: & quæ
 ibidem sequuntur: Subijcit deinde de
 Ferdinando Maximiliani Imperato-
 ris germano: Archidux Ferdinandus,
 ut patris nomen sortitus est, ita virtutem
 imitatur. Publicè per præcones proclamari
 iussit, ne quis huic Collegio vlla in re nocere
 auderet. Nunc profectus est Chiliarcha in
 Vngariam & à nobis, ut senior coronam ita
 & ipse Agnum Dei accepit, quem secum tulit.
 Vnicè nostris orationibus & sacrificiis se com-
 mendans. Qui etiam suggerente Patre Ca-
 nasio instituit, ut per totam Bohemiam in-
 nouaretur mos meridie pulsandi contra
 Christi

Christi hostes, ac pro Christiana religionis prospero successu, reuerenter gratias agens Canisio, qui tam honesta petendo Principem Catholicum officij sui admoneret. Effectum est apud eum, ut probatae fidei virum concionatorem haberet in militia, & curaret diebus Veneris in tota Bohemia processionem fieri, & missam de sancta cruce cantari, & moneri populum de pœnitentia & pietate. Addit Siluius iudicium populi de Canisio.

Patrem nostrum Prouincialem Canisium mirè hæ regiones Aquilonares venerantur, ut non solû Catholici, sed etiam Hussitæ & alij hæretici, imò & Iudæi illû diligant: quâuis doleant malorû artifices tam multa eius consilio in vniuerso Germaniæ statu fieri, (ut mihi à quibusdam indignantibus dictû est) omnia scilicet ei⁹ cõsilio fieri, &c. Maximum de nobis rumorem spargi apud Germanos, ac præsertim apud Marchionem Brandeburgensem & Ducem Saxonie retulit nobis D. Marschalcus (à regia Maiestate defensor nobis cõstitutus) utinam omniû expectationi satisfacere liceat. E 2 No-

*Pericula
quodidiana.*

Nostrum collegium in Ciuitatis medietulliosum est loco saluberrimo. De persecutionibus breuiter & pauca perstrinxi: Fratres tam viuunt securi ex maximis periculis, quasi iam in paradiso agerent. Nec mirum; cum iam altero pede, nempe affectu ibi sint, & effectum esse sperent in dies assidue dormi, & extra domum martyrium expectantes; presertim cum ad Scholas descendunt, ubi probabiliter secundum humanam rationem, nunquam se redituros ad cubiculum, sed potius ad caeleste tabernaculum, sibi persuadere possunt. Hæc & his multò plura Siluius. Porrò Hussitarum odium in Canisium, quem maximè formidarunt, ostendit monostichon, quod in illum iactarunt:

*Versus in
Canisium.*

*Hinc procul esto canis: pro nobis excubat anser.
Cuius hic est intellectus. Allusum est ad historiam veterem & Virgilianum carmen, quo Gallorum ad Capitolium duce Brenno per noctis tenebras grassantium ab anser, sopitis canibus, proditas insidias canit, simulq;*

mulq; in Dilogia nominum (*canis*) & (*anseris*) vis posita est: cum per *canem* Canisium, per *anserem* infelicem Huf-
 fium sectæ suæ architectum vellent
 intelligi, *Hufs* enim Bohemis anserē Hufs, anser
 valet. Ne ergò per subitum populi
 aut improborum impetum Canisius
 opprimeretur, dum aulam Regis pe-
 teret, præsidio principis ducendus ac
 reducendus fuit. Cõstitutis jam Col-
 legij fundamentis, quamuis rebus in
 futurum tempus nondum satis com-
 positis, Canisius ad Vangiones Wor-
 matiam à Ferdinando Imperatore Disputatio
Worma-
tensis.
 anno post Christum natum Hunc an-
num Surt-
us signat,
ab anno 1510. 1510.
 LVII. cum Nicolao Gaudano missus
 venit, vbi cum Melanchthone Mat-
 thia Flacco Illyrico, Melanchthonis
 mali corui malo ouo, Nicolao Ambf-
 dorffio, Nicolao Gallo præcone Re-
 ginoburgico, & alijs octo dogmatum
 paradoxorum procuratoribus con-
 gressurus. Sed cum hæretici inter
 se conuenire non possent, & Ortho-
 doxo-

doxorum consensum, vim dicendi, caussæ æquitatem ac eruditionē formidarent, alia atq; alia caussati, se Wormatia subduxerunt, & hoc tantum effecerunt, vti se scriptis postea & Thesisibus ac hypothefibus mutuò lacerarent, præsertim Ambsdorfius & Gall^o ab alijs proscripti. Qua de re MAG. LVII plura Surius. Canisio tum Principes erant partes comissæ, vti Catholicorū nomine antagonistis, & calamo & ore responderet. Ad quod ipse cū Lo-uaniensib⁹ magnæ auctoritatis viris ac Theologis accesserat. Sed, vti dixi, detrectantib⁹ pugnam aduersarijs, & inter se digladiantib⁹, nulla cum illis decernendi ratio iniri potuit.

Canisius ad suæ Prouinciæ munus reuersus Wormatia, Coloniam excurrit, & inde rogatu Episcopi Argētinam, Friburgumq; Brisgoiæ. Mox in Austriam se recepit, & Bohemiam, vt inchoata prioribus annis Collegij Pragensis initia profequeretur. Qua

in re nec paucos menses, nec paruos labores posuit, & in summa æde concionibus ad Cæsarem, populumque haud parū promouit. Reperi in chartis Canisij Epistolam ad Socios Pragenses, in qua de initijs Collegij & liberalitate principū multa commemorat, quod ex ipsis literis discas.

AD PRAGENSE COLLEGI-
VM SOCIETATIS IESV P. CA-
nisij Epistola.

IN Iesu Christo saluete Patres, quotquot Praga coniuncti degitis, ac in posterum degetis, eodem Societatis vinculo colligati, ut meo desiderio atque vocationi vestra satisfaciatur. Ac iusta quidem est ratio, ut vos moneam de bonitate diuina predicanda, qua mirabiliter effectum est, ut felicis memoriae Cæsar Catholicus Ferdinandus, idemque Bohemiae Rex inclytus hanc vestri Collegij sedē posuerit, & per me indignū voluerit edificari. Precor eundem fontem bonorum omnium, ut quotquot istic agitis,

E 4 gratis

gratis animis agnoscatis, saepeq; perpendatis
 istius accepti beneficij magnitudinem nullis
 verbis explicabilem. Etenim haud qua-
 quam levis res est, regium fundare & con-
 seruare Collegium in primaria Regni Bo-
 hemici vrbe, locoq; commodo & celebri,
 sumptibus non paruis extructum illo tem-
 pore, quo Hussitarum, Lutheranorum, alia-
 rumq; sectarum vires in Bohemia immani-
 ter desuierunt, nihilq; minus quam auitam
 pietatem & Romanam Ecclesiam approba-
 re voluerunt. Peto igitur à vobis obnixè,
 fratres, vt siue viuam ego, siue moriar, diu
 autem viuere non possum in hac senili im-
 becillitate, vos gratam & constantem pa-
 tronorum & amicorum memoriam intimè
 conseruetis, & eorum maximè, quorum præ-
 sidio, fauore, & studio Collegium hoc vestrū
 præclarè inchoatum, & hucusq; defen-
 sum fuit, quidquid demum aduersarij moli-
 rentur, qui rerum vestrarum successibus
 multis modis inuidere & hostiliter obstrepe-
 re non dubitarunt. Potissimum verò Au-
 striacæ domus ac familiae Regiæ, qua vix vlla
 hodie

Austriacæ
 familiae in
 Societate
 sua.

hodie in Europa splendet illustrior, memori-
 am vobis ac posteris valdè commendatam
 habetote, utpote per quam summo Deo
 visum est, hanc exiguam Societatē nostram
 in Austriam & Bohemiam clementer in-
 ducere, & in ea humaniter sustentare, ut no-
 uos in messe amplissima operarios exhibere-
 mus, quum noxia Zizania electum triticum
 passim suffocarent. Benè sit Austriacis fun-
 datoribus, quorum excellenti pietati ac per-
 petua munificentia tam multa debemus. Ae-
 ternum Christo viuant omnes, qui suis cō-
 siliis ac subsidiis hoc vestrum non obscurum
 seminarium instituere, prouehere, atq; con-
 firmare difficillimo tempore dignati sunt, ac
 dignantur etiamnum. Quamobrem non
 minus gratitudinis illis vos decet rependere,
 qui omni sunt exceptione maiores ex celo
 patroni & amici, fiduq; suffragiis res ve-
 stras stare haecenus atq; durare certissimum
 habeo. Quare gratiosa & frequens apud vos
 memoria vigeat diui * Alberti, primi apud * Adol-
 Bohemos Apostoli, diui Venceslai Princi- bertii.
 pis ac Martyris, diui Clementis patroni ve-

stri Apostolici, diui Sigismundi Regis Burgundici, ac aliorum quoq; Sanctorum, quorum nomina & merita, vt sanè iustum est, in Pragensi Ecclesia, tot saeculis celebrantur & quorum efficaci intercessione multa vobis vestrisq; conatibus diuinae gratiae munera, mihi credite, subinde communicantur. Postremò etiam atq; etiam rogo, vt quotquot apud D. Clementem habitatis, vocationis vestrae memores, concreditam vobis vineam Bohemicam magni faciatis, vestramq; messem illustri loco Praga sitam indefesso studio pergatis excolere, Christo auxiliante. Vita sit vobis irreprehensibilis, in qua praeclarum luceat specimen sanctae paupertatis, perpetuae continentiae, obedientiaeq; religiosae. Peculiariter autem patientiam & charitatem vestram non Catholici modo, sed etiam Catholicorum hostes, falsiq; fratres re ipsa comperiant, nomen IESU videlicet per vos magis magisque glorificari. Etenim non solum ad docendum & concionandum sed etiam ad crucem ferendam, & ad bene merendum de omnibus, vos

istue

istuc vocatos ac missos esse, nunquam non meminisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille, quem Pater noster Ignatius in primis postulat, vigeat inquam Zelus feruens animarum, quo præditi, ea quæ Christi sunt, syncerus procuretis animus, in hoc diligenter intenti, ut oves errantes ouili suo, veroque pastori, quoad eius fieri potest, in agro Bohemico restituantur. Amen, Amen. Seniore[m] Canisium, qui primum Collegii nostri lapidem iecit, in Christi nomine, vestris & sacrificiis, & precibus Domino commendatus, queso.

DE COLLEGII INGOLSTADIANI INITIIS.

CAPVT VIII.

EXpositū est supra, quibus modis Guilielmus Boiorum Princeps, Maximiliani hodie rerum in Boica potentis proauus, ab Ignatio felice Societatis parente socios impetrarit, & Ingolstadium ad cælestes illic literas tradendas amandarit.

Vix